



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Qualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

N V M. 2. *Quantitas.*

QVANTITAS apud Strabonem lib. 7. ex loquendi more Græcorum, secundum *longitudinem* est dierum $\tau\epsilon\iota\acute{\alpha}\chi\omicron\nu\tau\alpha$, *latitudo* autem $\pi\acute{\epsilon}\nu\tau\epsilon$: mirum tamen quomodo postea idem Strabo arguat Theopompum dicentem Illyricum 30. diebus peragrari posse, quasi ampliores ei fines assignarit. Romani autem apud eundem Strabonem *longitudinem* eius putant esse sex millium stadiorum, *latitudinem* mille atque ducentorum.

Ptolemæus autem Illyricum sumptum à Brigantino lacu ad Scordum montem secundum *longitudinem* facit stadiorum 7083. *latitudinem* autem à Iaderâ ad flexum Borealiorem Danubij, stadiorum 2084.

N V M. 3. *Qualitas.*

TOTA Illyrici ora commodis est instructa portubus, contrâ ei opposita Italiæ importuosa. In eo campi aprici, ubi & vites, & olea optimè crescebant, nisi in quibusdam locis asperioribus. Sed antea hanc regionem incultam fuisse, quia negligebatur, vel ob incolarum latrocinia: sic Strabo lib. 7.

§. 2. *De Illyrico strictè sumpto.*

N V M. 1. *Nomen.*

NOMEN supra expendimus paragrapho superiori.

N V M. 2. *Quantitas.*

QVANTITAS secundum *longitudinem* desumitur ab Arsiâ Fl. ad limitem Macedonicum, & iuxta Ptolemæi computum porrigitur ad 3750. stadia. *Latitudo* à Iaderâ ad flexum Danubij Borealem 2084. stadiorum.

N V M. 3. *Qualitas.*

NONNULLI incultum dixerunt esse, videlicet cum à

Piratis coleretur. Eius ora mille & ampliùs Insulis frequentatur naturâ vadosi maris, æstuariisq; tenui alueo, intercurfantibus. *Plin.* lib. 3. cap. 26. In Dalmatiâ optimas fuisse fodinas docet *Cassiodorus*. Ibidem auri plurimùm, siquidem, vt ait *Stattius*,

Dalmate montes, vbi dite viso

Pallidus fossor redit, erutoque

Concolor auro.

De sale dicemus in Admirandis; sicut & de mirabili regionis fertilitate. Cocleæ Illyricæ præcipuæ magnitudinis *Plinio*: pix Illyrica laudatur ab *Ouidio*, Iris à *Theophrasto*, oleum Liburnicum ab *Apicio*,

N V M. 4. *Mores.*

ILLYRICI omnes bellicosi, sed latrociniis addicti *Strabo*. In ora maris Piraticam exercebant nauigiis velocioribus quæ inde Liburnica. Sub Imperatoribus hinc fortissimæ legiones. Vino deditos agnoscunt *Alianus*, & *Athenæus*: confecere & potum ex hordeo quem *Sabaiam* dixerunt, vnde Valens Imperator Illyrius dictus *Sabaiarius*, *Am. Marcell.* Nullâ pecuniâ utebantur Dalmatæ, quod Romanis mirum videbatur. Octauo quoque anno agros suos diuidebant *Strabo* lib. 7. Peltas inuenere Dalmatæ *Clemens Alexand.*

N V M. 5. *Politia.*

NOMINATUR eorum Rex Agro, contra quem à Ro. bellum gestum est ob Essios insulares: & tum Epidamnus, & pars Epiri huic parebant. Coruncanus Legatus Romanus hinc cæsus causa magni belli fuit, sed Rege mortuo vxor eius *Teuta* cum Ro. pepigit, quando Corcyra, & Apollonia libertate donatæ sunt, & Demetrius cuius prodicione vsi erant Romani, multis donis auctus; postea tamen is rebellis interemptus est. Persei tempore pecuniâ inuitatus Rex Gentius, bellum Ro. denunciauit, sed illico deuictus, & captus, Scodra caput gentis deleta per Anicium Proprætorem, qui & Regem cum filiis in triumphum duxit. Illyrij tempore Iulij Cæsaris videntur rebellasse, nam semel & iterum Romanos cecidere, maximam cladem intulere Gabinio: postea tamen deuicto Pompeio pacem impetrarunt. Sed cæso Cæsare iterum rediere ad ingenium; tandèmq; ab Augusto omnia de-